

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**EXEGESIS || DIVINAE ATQVE || HVMANAE KOI-||nōnias. ||
Autore PETRO BOQVINO || D. Theologo.|| ... ||**

Bouquin, Pierre

Heidelberg, 1561

Ad lectorem

[urn:nbn:de:bsz:31-248509](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-248509)

COMMONEFACTIO AD
Candidos Lectores.

Svmmi ingenij atq; acerrimi iudicij uir M. Ci-
cero, ab omnibus iudicatur & creditur subti-
liter animaduertisse & prudenter obseruasse mul-
ta, cum in omni doctrinae genere, tum in plerisq; se-
cretioris Philosophiae partibus: mihi autem cum ut
de iure ciuili diceret esset rogatus, uidetur pruden-
tissimè animaduertisse, & subtilissimè considerasse
de ea parte appositè, & accommodatè se disserere
non posse, nisi rem altius repeteret: & ab ipso,
quod dicitur, capite disputationem duceret. Quae
uulgo dicebatur atque credebatur, scientia iuris,
in paruum quendam & angustum naturae locum
conclusam esse ab ijs qui istud nomen magno fastu
profitebantur, homo acutissimus uidebat: ac ideo ut
res rectè planeq; cognosceretur, atq; ut exponi cla-
re certoq; posset, fontes ipsos legum esse inquiren-
dos: & penitus, ex intimaq; Philosophia hauriendâ
esse iuris disciplinam, rectissimè iudicauit. Sanè qui
de parte aliqua certam cognitionem consequi uo-
lunt, uehementer falluntur, si parare eam se posse
arbitrantur, sine totius, cuius illa est pars, diligenti
consideratione: ut qui rei alicuius naturam perui-
deri posse, ipsius fonte ignorato, existimant, toto,
quod aiunt, caelo errant. Et uerò, ut ad Ciceronem
redeam

Ad Lectorem.

redeam, tametsi prorsus uerum esse fatear, quod is Quinto fratri respondet, iuris scilicet ignoratiōē potius quā scientiam esse litigiosam, est tamen etiam quod Quintus dicebat non falsum, eos nimirum qui ius non demonstratis fomis tradunt, nō tam iusticiæ, quā litigandi tradere uias. Quod isti disputando de legibus pronuntiant, latissimè patere, & ad alia argumenta accommodari & posse & debere facile uident, quibus iudicij aliquid inest. Ego igitur quod illi de suorum temporum controuersijs, ac iure ciuili, differēdo, iure optimo pronuntiat, de nostræ ætatis, in rebus diuinis questionibus, meritò dicere me posse arbitror. Est profecto non scientia, sed ignoratio cōtemionum mater, eaq; omnium maximè maximas rixas parit, quæ cognitionis opinionē aut uerius persuasionem induit. Hic enim morbus eos in primis corripit, qui re in superficie, ut dici solet, cōsiderata, plenā perfectamq; rei scienciā sibi sumere audent: qui cum ferè magna profiteantur, in paruis tamen, ut ille ait, uersantur. Remedium igitur nullum presentius aduersus hoc malum adinueniri posse iudico, idq; rectè, nisi uehementer fallor, quā ut res tota penitus introspectiatur. partes singulæ inter sese sedulò conferantur, omnium consensus attentè consideretur, & quid altera ab altera differat, hoc est quid cuiq; propriū, quidue omnibus cōmune sit, diligenter quæatur. cōsideretur.

Ad Lectorem.

sideretur, expendatur. tum enim rei uis ac natura
plene planeq; perspici, ac tuto & certo de ea iudi-
cium ferri poterit. Qui secus faciunt, sibi ipsis pri-
mum, alijs deinde imponunt, dum quod falsum pro
uero sunt amplexi, mordicus retinent, pertinaciter
defendunt, ac omnibus persuadere conantur. Hec
me ratio mouit, ut argumentum, quo de inter mul-
tos hodie tam acerbis odijs, magno cum bonorū do-
lore, ac summa infirmorum offensione certatur,
longius repetitum in publicum darem. Fontem attin-
gisse, & quomodo inde riuus ducantur, indicasse mihi
uideor. Reliquum est Christiane Lector, ut hunc no-
strum laborem excipias, atq; interpreteris eodem
quo est à me susceptus, tibiq; nunc offertur animo
& studio, hoc est tibi atq; uniuersæ Ecclesiæ
Christi, atq; adeò paci publicæ, consule-
re auidissimè cupienti.

Bene uale.

CHR

Idete
V(ist) qu
monem
dat, quz
gd

CHRYST. HOM. XIII.
in Genes.

Videte quanta absurditas, & quanta blasphemias
(sit) quando quis non ipsum diuinæ scripturæ
canonem sequitur, sed suis opinionibus locum
dat, quæ mentem disturbant, & uerborum pu-
gnas, & infinitas quæstiones sanis
rectisq; dogmatibus
immiscet.